

5 testes non egeat, qui argumenta non quaerat, qui oratorem causae non postulet, sed his omnibus procul amotis ipse et gesta et verba et cogitationes hominum denudet atque in medio collocet et cuncta velut in tabulis quibusdam depicta oculis eorum qui commiserunt ea atque  
10 omnium qui assistere videntur ostendat. Quomodo non commovebitur et in metu erit universa creatura? Quod etsi tunc ignis fluvius ille non curreret neque angeli assisterent terribiles et facies dira tortorum, sed hoc solum si evocarentur homines ad regem et alii quidem laude et  
15 honore digni haberentur, alii vero dehonorati cum nota et confusione abicerentur, si hoc solum poenae homines paterentur, nonne super omnem Gehennae cederet cruciatum, quod aliis munera percipientibus a rege, ipsi repulsam cum dedecore meruissent, in quo quantum  
20 poenae sit etiam si nunc plene sermo non potest edocere, tunc tamen cum ad rem ventum fuerit, manifestius sentiemus. Tu vero adde ad haec omnia etiam suppliciorum dolores et non solum confusionem neque solius dedecoris notam sed et illam pone ante oculos viam qua  
25 trahuntur homines ad ignem et qua traduntur ad poenas. Cogita saevos illos et horrendos poenarum ministros qui peccatores praecipitant ad supplicia et hoc eo tempore quo alii qui bene egerunt a clarissimis angelis et placidissimis archangelis supportati ante regis aeterni  
30 solium sublime coronis gloriae et immortalibus praemiis munerantur, et haec quidem propria erunt diei illius